



C A N A D I A.

O D E.

Ε Π Ι Ν Ι Κ Ι Ο Σ.

His de rebus tantis—neque satis me commodè dicere,—neque satis liberè vociferari posse intelligo.—Quapropter vos oro, atque obsecro, Judices, ut attentè, bonèque cum veniâ verba mea audiat. Fide sapientiâque vestrâ fretus, plus oneris sustuli, quàm ferre me posse intelligo. hoc onus, si vos aliquâ ex parte allevabitis, feram, ut potero, studio, et industriâ, Judices: Sin a vobis, id quod non spero, deferar; tamen animo non deficiam, & id quod suscepi, quoad potero, perferam: quod si perferre non potero, opprimi me onere officii malo, quàm id, quod mihi cum fide semel impositum est,—propter infirmitatem animi deponere.

Cic. pro Rosc. Amet



L O N D I N I :

IMPENSIS AUCTORIS.

Prostant apud J. CLARKE, sub Bursâ Regiâ, R. & J. DODSLEY in Vico,  
Pall-Mall, et J. BUCKLAND in Vico, Pater-noster Row.

MDCCLX.





# CANADIA. ODE.

## I.

**Q**uœnam angit aures Vox morientium ?  
Qui planctus? Heu! Queis ex Regionibus  
Tubæq; Bombardæq; ruptis  
Ignibus, intonuère Cœlo?

II.

Verſorne Terris in Borealibus?

Oraſq; viſo forte Columbias?

Quis Fumus iſte? Quis Tumultus?

Arma quid increpuère circùm?

III.

Leſtas Cohortes, nunc pede, nunc manu

Nixas in altum ſcandere cernimus.

Nunc, maximâ vi molientes,

Ardua jam ſuperare Saxi.

## IV.

Conflictus atrox ingruit; agmina  
Commista densis agminibus, ruunt.  
Viri virorum vim retorquent;  
Ictibus ingeminantur ictus.

## V.

Bombarda totos demetit ordines,  
Strictisq; campus fulgurat Ensis:  
Luctantur, impellunt vicissim:  
Exacuit sua quemq; Virtus.

VI.

Sic imbre onustis nubibus in polo

Certamen infit: vi validâ ruunt.

Confligitur. fragore Montes

Contremuere; remugit Æther.

VII.

En! laureatum Signa Britannica

Ductorem ad arces ferre Canadas!

En! læsa Vindex vadit ultum

Jura, sub auspiciis G E O R G I.

## VIII.

O quàm decoro pulvere Wolfius

Perfusus Ensem fulmineum rotat!

Irrumpit, hostiles Catervas

Cædit, agit, rapit, urget instans!

## IX.

Ah dulce pignus! ne nimis ardeas.

Fatalis Ardor fortibus, et bonis!

Quin laudo. Si corpus fatiscat.

Fama supervolitabit Astra.

X.

Terrisque, præstans commemorabere

Virtute verâ. nec reticebitur

Suprema vox singultientis,

Cùm “Fugiunt, Fugiunt,” relatum est.

XI.

Ad vocis horrens ambiguae sonum

Arrectus Ille, “Ah! Qui fugiunt?” rogat.

Tum doctus, aufugisse Gallos,

“Jam fatis est, Moriamur.” inquit.

## XII.

Sic certus Hostes terga dare in fugam,  
Thebanus Heros, "Extrahe telum," ait;  
Vultuq; fubridens amæno  
Magnam animam exhilaratus efflat.

## XIII.

Ambo beati! plaudite, Milites,  
Morte invidendâ plaudite nobilem!  
Te Rura, fortunate, et Urbes,  
Te recinet nemus omne, Wolfi.

Nec

XIV.

Nec Tu feroci mente superbias  
 Montcalme fidens: Fataq; Te vocant:  
 Vicemq; mortalem dolentes  
 Magnanimo illachrymamur Hosti.

XV.

Monctonus, et Tounshendius impigri  
 Sortes fecundas fortiter occupant.  
 Gallorum, et Indorum omne Robur]  
 Sternitur ante pedes furentum.

Sic

## XVI.

Sic par Leonum turbat, Ovilibus  
 Saltu refractis; corruit En! pecus  
 Imbelle, confertum, tremensq;  
 Indomito exanimatur ictu.

## XVII.

O pulchra Virtus! Eia! agite O Viri!  
 Viri mementote esse Britannici!  
 Domate, Debellate: Laurum  
 Accipite à populo volenti.

## XVIII.

Io triumphe! Ne Pueri Viris

Contendite ultrà. Cedite Lauream.

Mitiq; sub Victore victi

Fœderis expetitote Leges.

## XIX.

Io Triumphè! Vive Britannia!

Viyas G E O R G I ! Vivite nobiles

Heroes! æternis manebit

Gloria concelebranda Sæclis.

Quid

XX.

Quid nunc Hovardos, Quid memorem Dracos?

Greenvillum, et alto stemmate Verium?

Olim duello pertimendos,

Et decora anterioris Ævi?

XXI.

Jam vivit Haucus, vivit et Holmius,

Boscaunus, et Saundersius inclyti.

Osborne, Barrington, fortes,

Tuq; vale, memorande Amhersti!

Quid

XXII.

Quid jam Dúrellos, Quid Brodericios  
 Dicamus acrés ? Eúge ! Britannicis  
 Granbæ, Walgraviq; Terris  
 Conspicua emicuiſtis Aftra.

XXIII.

Pelhame, Pitti, Vos quoq; Regii  
 In Pace, Bello, Confiliarii,  
 Gaudete ; Communi Saluti  
 Non temerè invigilaſtis unà.

Illum

## XXIV.

Est, Est, profectò, Qui regat omnia,  
 Viceſq; Mundi Numine temperet.

Qui fas, neſaſq; adſpectet æquus,  
 Et tribuat ſua cuiq; Judex.

## XXV.

Illum expiemus jam prece ſupplici,  
 Et Mente caſtâ, quando agimus dies  
 Feſtos, Triumphalemq; Currum

Proſequimur celebris G E O R G I.

XXVI.

“ Æterne Rerum Conditor, et Salus!

“ Ne, Sancte, falsis, Ne, Pater, imputes

“ Delicta: Christo promerente,

“ Et populo, et benedice Regi!

XXVII.

Tibi, O, fecundas, Optime, pendimus

AUGUSTE, grates. Tu bonus annue.

Longùmque, dilectus, potenti

Sceptra geras, Venerande, dextrâ.

WIL-

XXVIII.

WILHELME Dux! An te tacitum finam?

Ultro, vocatus re dubiâ, adstitit;

Magnosq; perpeffus Labores

Nil Patriæ antetulit Saluti.

XXIX.

Quæ Dona tantis pro meritis damus?

WILHELME vivas! munere nam tuo

Præclara Libertas, et alma

Relligio intemerata perstant.

## XXX.

Quò raptor amens? Ecce GEORGIUS

Renidet Alter! Clarus Origine,

Virtute clarus : diva Proles!

Altera Lux, Columenq; Rerum!

## XXXI.

Sub hoc vigebit Principe, perdiu,

Pax alma, Amorq; mutuus, et Fides.

Throniq; constabunt perennes

Iustitia, et Pietas Columnæ.

F I N I S.

